

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

11. Iniuirjs ipsis vindictam de cælo postulantibus, Deum vindicem habere illum, qui exemplo Sidonij Apollinaris, vindictam nullam expetit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Cap. XL. Non temerè homines ad diuinum tribunal citandos. 403

tur; non tacuit tamen sanguis eius, qui ad Deum de terra clama- Gen. 4. 10.
uit. Neque enim verba tantum, sed etiam facta ad Deum clamant;
longeque potentiùs clamant, ac vindictam postulant. Neque du-
biū est, à viuis & mortuis viuos oppressores eorum, ante diui-
num tribunal etiam sine voce, accusari; neque raro etiam, ad
caussam, coram supremo iudice, disceptandam citari, iniurijs ipsis
exigentibus vindictam.

Cui rei confirmandæ luculentus est testis D. Gregorius Turonensis, qui hanc historiam recitat. Auernensis Episcopus, cui nomen Sidonius Apollinaris, æquè sanctus ac eruditus, moribus & artibus præstans, ut coronas in cælo multiplicaret, virtutis mercedem, in terris, accepit tribulationes. Necesse enim est, ut virtutem oderint vitiorum amatores; quam ne cogantur amplecti, impugnant atque repellunt. Quam ob caussam, Sidonius quoque duos nactus est sacerdotes disciplina indigentes, quorum quotidianus sermo erat: *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplina nostræ. Quid non efficiunt duo conspiratores? immo quid Orcus, per illos, non efficit? Duo erant, sed tribus Furijs agitabantur. Nam & moniti vindictam spirabant; & castigationem metuentes conabantur amoliri correctorem; & denique ambitione inflammati, locum sperabant, si sedem vacuam fecissent. Hinc conuenticula, hinc conciliabula, hinc denique vis aperta, qua virum innocentissimum & magnificatum dignissimum, omni sacra potestate priuatum ad ultima redegerunt. Si quidem vix tantum cibi præbuerunt afflito, ut vitam sustentare posset, & vixisse mallet, quam vivere.*

Sidonius, tamen, et si graibus malis irritatus, & caussæ equitate fultus, iniuriam laudabilius tolerari, quam propulsari ratus, quasi non sentiret, aut, tanquam si meruisset, ita patienter omnia tulit. Itaque non expostulare, non implorare amicos, non circumspicere patronos, non certare foro, non recuperare amisam dignitatem voluit; sed omnia Deo commisit iudicisque diuinis, sine quibus Mundus non gubernatur. Felix, quisquis hoc facere nouit; nec enim magnam duntaxat is animo suo conciliat tranquillitatem; sed etiam, quia se ipsum non vindicat, Deum vindicem parat. Quod & Sidonio euenit. Conuenerat inter improbos duos sacerdotes, ut die altera, Episcopum è templo extra-

Ecc 2. Etum

XI.
S.Greg. Tu-
ron 1.2. hist.
Franc. c. 23.
& Baronius
An. 486.

Sap. 2.12.

XII.

712